



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XLVIII. Quod religiosi non bibant ultra horas debitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

mittatur, ita quod ex longa ipsius mora vel conuer-  
fatione scandalum oriatur: quod si præsumptum  
fuerit, per superiorem emendetur.

Item viri religiosi non recipiant ecclesiam ad fir-  
mam, in qua sibi quid iuris vendicant, saltem post  
mortem personæ. Quod si fecerint, arbitrio supe-  
rioris puniantur.

Quoniam inter alia vitia impetus gulæ viros re-  
ligiosos præcipue non mediocriter infestat, decer-  
nimus vt nec monachi nec canonici regulares nisi  
statutis locis & horis potationi aut comestationi  
vacare præsumant. Si quis vero sitiuerit, impetrata  
licentia, refectorium regulariter intret, vt sic ne-  
cessitati subueniat, non vt consulat voluptati. Ab  
hac generalitate eximimus infirmos, & eos qui fue-  
rint in obsequio prælatorum.

Ad hæc statuimus vt, cum ratione debilitatis  
vel alia iusta ratione, monachi seorsum in miseri-  
cordia morantur, semper habeant secum ad minus  
alios seniores, qui aliorum leuitatem debita corre-  
ctione compefcant, & qui postmodum in capitulo  
testificentur, qualiter in misericordia fuerint con-  
uersati. Idem volumus inter canonicos regulares  
& moniales obseruari. Vt autem omnia sine bono  
concludantur, Lateranense Concilium sub sanctæ  
recordationis papa Innocentio celebratum, in præ-  
statione decimarum & aliis capitulis præcipimus  
obseruari, & in Synodis episcopalibus constitu-  
tiones illius Concilii vna cum istis, prout eis vi-  
debitur expedire, volumus obseruari.